

三

Urkunden und Überlieferungen.

Urkunden zur Geschichte des Klosters Schönthal.

Ans den Originalien mitgetheilt von Ottmar Schönhuth.

I. Abt Siegfried von Maulbronn bietet dem Kloster Kaisersheim die Paternität über Kloster Schönthal an.*)

Venerabili Patri et in Christo mihi carissimo domino Abbatii
de Caesarea Sifridus dictus Abbas de Mulebrun orationes devotas
et cum debita reverentia plenitudinem omnis boni. Non mediocre
plane judicium est gerere, quod secundum Philosophum beneficiorum
memminerit acceptorum, seque eorundem largitori per effectum operis
gratiarum actionum recognoverit debitorem. Audientes ergo affectu
pietatis vos moneri, filiam nostram monasterii videlicet speciosae
vallis, eidem condolendo super eo, quod in temporalibus irrecupe-
rabiliter sit collapsa, et fluentibus desideriis vos incendere manum,
scilicet ad resurgendum porrigere adjutorium; ex hoc ipso perpendimus
gratiam divinam in vobis exuberare, quae vobis non solum in tem-
poralibus, verum et in spiritualibus benedictionem contulit copiosam,
cui conceptum propositum persequentes, gratiarum actiones refertis
vberes et condignas. Quia vero monasterium nostrum Mullenbrun
visitante nos in ira sua Altissimo, tot et tantis tribulationibus sub-
jacet et pressuris, ut periculum minari videatur quodammodo pereundi.
Cujus occasione spes nostra negotiis et curis distrahitur infinitis, ita-
que predictae filiae nostrae ad subueniendum effectuose uel consu-

^{*)} Ueber das, was diese und die folgenden Urkunden enthalten, vergleiche Chronik des Kloster Schönthal von O. Schönhuth, S. 39 — 40.

lendum affectuose, prout ipsius requirit necessitas, assurgere minime
valeamus, benignitatem vestram ampliori, qua possumus, precum
instantia deprecamur, igitur ad id, quod prefata filia nostra speciosa
vallis speratum reformationis beneficium consignauit, pro diuina
reuerentia studeatis curas feruidas et sollicitas operas applicare, nec
paciamini tam nobile membrum aliquatenus ordini deperire, assumen-
tes vobis et domui vestrae curam et paternitatem plenariam ejusdem
quam de consilio et pleno consensu Reuerendorum Patrum de Lu-
cela, de Nouo castro Abbatum nec non totius conuentus nostri in
Speciosa valle ratione paternitatis possideamus, uel habuimus longi
temporis praescriptione, iusto titulo bona fide nihilominus protestantes,
quantum fas est, quoad dictum paternitatis translationem decretum
seu auctoritate nostri capituli generalis. In cuius rei testimonium
et memoriam jugiter tenenda praesentes vobis dedimus litteras
sigillis Reuerendorum patrum praedicatorum et nostro munitas.
Actum et datum Anno dni MCCLXXXII. in die Purificationis
Virg. Gloriosae.

(Die Urkunde hatte drei, nun nicht mehr vorhandene Sigille.)

II. Urkunde über die Schulden des Klosters Schönthal, welche Kloster Kaisersheim mit der Paternität übernommen.

Nos fratres Conradus de Lucella, Ortl. (iebus) de Novocastro,
Sifridus de Mulenbrun, Conradus de Alba et Conradus Speciose vallis
abbates cisterc. ordinis constare volumus universis Christi fidelibus
presentem litteram inspecturis, quod nos audita generali computatione
et statu domus speciose Vallis ab ipsis domus officialibus in domo de
Mulenbrun invenimus eandem domum speciose vallis videlicet in sub-
scriptis debitis obligatam. Tenebantur in 248 lib. hal. apud Judaeos,
usuris crescentibus obligati. Item Judaeo cuidam de Rotingen in 140
lib. hal. haec apud Judaeos. Apud Christianos vero tenebantur in summa
.... octingentis videlicet et 43 lib. hal. obligati. Summa autem de-
bitorum predictorum insimul computata erit 1200*) lib. hal. Porro
in bladis quae debita non persolverant et adhuc solvenda remanse-
rant, sunt 456 malt. silih. 111. malt. speltae 106 malt. avenae mensurae

*) Muss ein Irrthum des Schreibers seyn, denn es kommen 1231 Pf. Heller heraus.

Heibrunensis. summa predictorum bladorum erit 673 malt. in annuis, praeterea pensionibus sine percipientium damno quolibet persolvendis sunt 457 malt. silig. spelte autem 118 malt. avenae vero 40 malt. mensurae similiter prelibate. In denariis insuper, quos antedicta domus ratione pensionum singulis annis solvere tenebatur, sunt 80 lib. hall. ; in vino singulis annis 7 carratas et 3 urnas mensurae Herbipolensis tenentes soluere sine damno percipientium idem vinum. Cum tali itaque onere dictum domum speciosae vallis Ven. patres domino abbatи de Caesarea de communi consensu pleno pariter et concordi ven. patrum domini abbatis de Mullenbrunn ac abbatis speciosae vallis supradictae suorum quoque conventum in filiam quantum in nobis fuit et in quantum potuimus damus ac dedimus in spiritualibus pariter et temporalibus regendam perpetuo pariter et tenendam. Ne igitur quisquam sibi vel nobis futuris temporibus hanc notam impingere valeat, vel ore mendaci mendaciter affirmare, ut scilicet saepedictam domum speciosae vallis invenerimus in minoribus vel paucioribus, qua supra diximus debitis obligata, hanc litteram scribi voluimus et sigillorum nostrorum munimine voborari, et ipsam eandem litteram domino abbatи de Caesarea memorato in apertm veritatis testimonium jussimus assignari. Datum in Mullenbrun anno domini MCCLXXXII. feria quinta proxima ante Dominicam qua cantatur judica.

(An dieser Urkunde hiengen 5 Sigille. In einer noch vorhandenen Copie derselben sind am Schluss die sämmtlichen Schulden des Klosters zu Gulden berechnet. Nach dieser Berechnung beträgt die Geldschuld 23,598 Gulden, die Schuld an Früchten 2845 Gulden, also im Ganzen 26,443 Gulden — eine für jene Zeiten freilich bedeutende Summe.)

III. Der Abt und das General-Capitel zu Cisterz bestätigen die Uebertragung der Paternität über das Kloster Schönthal an das Kloster zu Kaisersheim.

Nos fratres Iohannes abbas Cistercy totusque conuentus diffinitorum et abbatum capituli generalis universis presentes litteras inspecturis, volumus esse notum, quod cum quedam abbatia nostri ordinis, dicta de valle speciosa, Herbipolensis dioecesis, epropter onera debitorum contracta multis temporibus retroactis collapsa plurimum ad statum tam miserabilem devenisset, quod licet Conuentu dispersus fuisset per viginti annos et amplius minime respiraret, im-

sublata videtur quodammodo facultas et fiducia resurgendi, venerabilis coabbas noster de Mullenbrunen, cuius erat filia dicta domus, non valens ei succurrere nec volens ejus excidium sustinere, de consilio et pleno consensu venerabilium patrum . . . de Morimundo . . . de Lucela . . . de Nouo castro abbatum patrum suorum vna cum suo Conuentu et patribus supradictis, supplicavit precibus instantissimis ac deuotis, Venerabili domino Trutwino abbati et Conuentui de Cesarea, Augustensis dioecesis, ut propter deum et ordinis reuerentiam succurrere dignaretur domui desolate, sperans quod per ipsorum sollicitudinem ac vigilantem industriam resurgere posset aliqualiter dicta domus, si tamen manum apponenter efficaciter adiutricem. Qua supplicatione moti pietatis affectu abbas et Conuentus de Cesarea supradicti manum apposuerunt et primo anno omnia debita dicte domus currentia ad usuras de pecunia eis mutuata liberaliter persolverunt et domum collapsam penitus in tali statu posuerunt, quod spes primus sublata renixit et domus resurgere iam incepit. Quod videns pater abbas de Mullenbrunne coram nobis in generali capitulo congregatis, de consensu pleno sui Conuentus et patrum predictorum videlicet . . . de Morimundo . . . de Lucela . . . de Nouo castro abbatum, volens istis beneficiis aliqualiter respondere, renunciauit tam pro se quam pro suo Conuentu et successoribus eorundem paternitati domus vallis speciose, quam pacifice et quiete domus de Mullenbrunne longi temporis prescriptione habuerat, et quasi possederat ab antiquo transferens eandem paternitatem cum omni iure quod ipse et domus sua eam habuerat, cum omnibus appenditiis et juribus que ipsi competit in dicta domo vallis Speciose vel competere uidebantur. Renuncians nihilominus tam pro se quam pro suo Conuentu pure, simpliciter et speciose omni juris auxilio Canonici uel ciuilis beneficio restitutionis in integrum et omni plane actioni, per quam dicte paternitatis translatio sive pura donatio tam solemniter facta in capitulo generali possit vel debeat impediri aliqualiter uel infringi. Cum igitur generale capitulum se consuevit exhibere negotiis gratiosis et favorabilibus gratiosum translationem et donationem paternitatis domus speciose vallis ab abate et Conuentu de Mullenbrunnen factam abbati et Conuentui de Cesarea non solum concorditer approbamus, verum etiam a generali capitulo datum, presentis scripti testimonio valitaram in perpetuum confirmamus. Inhibentes firmiter et districte auctoritate Capituli generalis, ne aliqua

persona huius ordinis hunc processum per diffinitiuam ordinis sententiam approbatum audeat aliquatenus immutare aut Monasterium de Cesarea super paternitate domus vallis Speciose futuris temporibus aliqualiter perturbare. In hoc igitur omnium euidens argumentum et notitiam plenioram presentes litteras assignamus supradicto abbatii et conuentui de Cesarea sigillo generalis Capituli fideliter roboatas. Actum et datum in Cistercio anno domini Millesimo octogesimo secundo Tempore Capituli generalis.

(Von dem einzigen Sigill, das angehängt war, ist nur noch die rothe und grüne Seide vorhanden.)

IV. Abt Siegfried von Maulbronn und sein Convent verzichten mit Namensunterschrift auf die Paternität über das Kloster Schöenthal.

Reuerendis in Christo Iesu Patribus domino Abbati Cistertii et universis Abbatibus ejusdem ordinis in generali Capitulo congregatis Frater Sifridus; Abbas de Mullenbronnen Spirensis dyocesis totusque Conuentus ibidem subiectionis et obedientie promptitudinem debitam et deuotam; Herodianae maliciae saeva crudelitas exercetur si renascens extinguatur religio et Israelis parvuli imprimis vite auspiciis occidantur. Cum igitur domus Speciose vallis nostri ordinis Heripolensis dyocesis per importabilium onera debitorum usuris cottidie crescentibus ad talem statum et tam miserabilem pervenisset quod Conuentus XX annis dispersus et amplius nullum ibidem regularis obseruancie vestigium remaneret et dicta domus creditorum pocius et iudeorum quam monachorum habitatio uideretur, essetque adeo desolata, ut omnibus ruinam dicte domus discretionis oculo intuentibus resurgendi spes et opinio tolleretur, nos qui nullum adiutorium dicte domui et eius excidio impendere valebamus, venerabilem Patrem Abbatum de Cesarea nostri ordinis Augustensis dioecesis de consilio venerabilium patrum Morimundensis et Lucelensis et Novocastri et de Alba Abbatum ac conuentus nostri concordi assensu qua valebamus instance rogauimus, ut dictum domum speciosam vallem videlicet in filiam assumeret et primituum ibidem ordinis statum per suam industriam cum diuino adjutorio reformaret. Verum, quia dictus pater abbas de Cesarea nominatam domum contra spem hominum ab usurarum voragine et pressurarum calamitate multiplici liberavit, ad talem statum penitus reducendo, quem vires nostrae nul-

latenus poterant inducere nec parare, memoratam domum Speciosam vallem sibi dedimus et damus, quantum in nobis est, et esse potuit, de communi et concordi Conuentus nostri assensu in filiam regendam et gubernandam tam in temporalibus quam in spiritualibus perpetu-aliter sine lite. Renunciantes simpliciter et precise pro nobis et nostro conuentu dicte domus filiationi litteras per presentes omnique juris auxilio canonici ut ciuilis beneficio restitutionis in integrum om-nique indulgencie rescripto a sede apostolica uel a generali capi-tulo impetratis uel et impetrandis, omnique rei et legi, per quam dicte filiationis translatio et renuntiatio impediri posset uel et irritari ratam habentes, insuper de pleno consensu conuentus nostri antedicta filiationis translationem et confirmationem per generale capitulum factam uel et faciendam et eam perpetuo valitaram presentibus confitemur. Et in omnium suprascriptorum euidens testimonium presentem litteram vestre sanctitati cum propriis officialium nostrorum subscriptionibus et nostri sigilli impressione transmittimus insignitam. Nos vero prior et conuentus domus de Mullenbrunnen quia sigillum ex ordine non habemus in plenum nostri consensus argumentum sigillis venerabilium patrum . . . Lucelensis . . . Nouicastri . . St. Urbani abbatum pre-sentes litteras rogamus communiri. Datum et actum Anno dni MCCLXXXIII pridie Nonas junii in claustro Mullenbrunnen. Nos denique Cunradus Lucelensis et Nouicastrensis et de Sto. Vrbano abbates a conuentu de Mullenbrunnen rogati in euidens sui consensus testimonium presentes litteras sigillorum meorum appensionibus fe-cimus communiri,

Ego frater Marcolfus prior consensum meum subscribo.

Ego frater Cunradus infirmarius consensum meum subscribo.

Ego frater Sifridus subprior consensum meum subscribo.

Ego frater Swigerus maior cellarius consensum subscribo.

Ego frater Vlricus cantor consensum meum subscribo.

Ego frater Gewardus subcellarius consensum meum subscribo.

Ego frater Eherhardus Grangiarius consensum meum sub-scribo.

Ego frater Eberhardus consensum meum subscribo.

Ego frater Hezelo portarius consensum meum subscribo.

(An dieser Urkunde hingen 4 Sigille, von denen aber nur ein Fragment des Dritten vorhanden ist, auf dem wir noch das Bild eines Abts erblicken. Die Unterschriften sind von den betreffenden Conventualen, deren einige eine weniger geübte Hand führten.)